

I. N. 7.
DISSERTATIO GRADUALIS
DE
DEFECTIBUS
VIRTUTIS
NATURALIS,

CUJUS
PARTEM POSTERIOREM,

Suffrag. Ampliss. Facult. Phil. in Reg. Academ. Aboënsi,
Sub PRÆSIDIO

M^{AG.} JOHANNIS
BILMARK,

HIST. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORD.

Publicæ censuræ modeſte offert

SALOMON MÖLLER,
AUSTRO-FENNO.

In Audit. Maj. Die XXI. Mart. Anni MDCCXLVI.
Horis Ante Meridiem Confvetis.

ABOÆ impressit Joh. CHRISTOPH. FRENCKELL.

VIRO
AMPLISSIMO atque CONSULTISSIMO
DOMINO **G**USTAVO
IDMAN,
In Dicasterio Magni Ducatus Finlandiae ADSES.
SORI Gravissimo,
PATRONO PROPENSISSIMO.

Contigit mihi per annum & quod exurrit, quo cu-
rœ meæ filium Tuum optimæ indolis litteris insi-
tuendum tradidisti, singulari Tua frui benevolentia.
Dum vero de gratiis agendis cogito, & vires & ver-
ba mihi deficiunt. Patiare igitur, humillimus rogo, exi-
guum hocce opusculum Tuo consecrari Nomi, idque
pro eximia Tua comitate suscipias tanquam pignus gra-
ti venerabundique, quo Te jugiter prosequor, animi. Ego
vicissim ad Summum Numen adsiduas fundere preces nun-
quam intermittam, velit Te, Patrone Benignissime, per
annos bene multos omniigena felicitate maiestatum servare,
quo habeat in Te justitia Vindicem gravissimum, Fami-
lia Tua Nobilissima fulerum firmissimum, Tuique Clien-
tes Fautorem & Patronum, de quo sibi impense gratu-
lentur. Ita ex intimis cordis recessibus votet

AMPLISSIMI TUI NOMINIS

Cultor humillimus
SALOMON MÖLLER.

ÄNKE-PROFESSORSKAN
HÖGÅDLA FRUN,
Fru HELENA ELISABETH
LECHE,
Född
SVENONIA.

Den vördnad jag hārtils i mitt inre hyst emot
Högålla Fru Professorskans mig städse ertedda
gunst och bevägenhet, har jag nu åndteligen til-
falle at offerteligen å daga lägga. Men derigenom
uppfylls hvarken min skyldighet, eller min önskan.
Högålla Fru Professorskans ynnest för mig är högre,
än at den rått kunde beprisas, än mindre våkeligen
aftjenas. Dock i förtröstan på *Fru Professorskans* å-
delmodiga sinnelag, som gör, at *Fru Professorkan* af
en osormögen hand tager viljan för sjelfva värket,
vågar jag upoffra närvarande Academiska arbete så
som et ringa vedermåle af det tacksamma hjerta,
som jag emot alla mig bevissta välgerningar altid hy-
ser. För öfrigkeit är och blir min innerliga önskan, at
den Högsste Guden värdes vara *Högålla Fru Professor-
skans* nådiga hjelp och försvar, samt i många tider
vid beständig fällhet och välmåga uppehålla *Högålla
Fru Professorkan*, at des Kära Barn, som ännu med
sina tårar fukta sin Holda Faders graf, ej åfven måt-
te för tidigt sakna en öm Moders trogna omvårdnad.
Med djup vördnad har åran framhärla

HÖGÅDLA FRU PROFESSORSKANS

ödmjukaße tjenare
SALOMON MÖLLER

Admodum Reverendo atque Praeclarissimo
D:no Mag. J A C O B O
K R O O K,

Ecclesiarum, quæ Deo in Hollola, Asickala, Heinola,
Kårkölä & Nastola colliguntur, PASTORI atque
PRÆPOSITO Meritissimo,

FAUTORI PROPENSISSIMO.

Quæ in me exstare voluisti favoris plane singu-
laris documenta, tot tantaque sunt, ut omnium
ingratissimus merito haberer, si eadem ex pe-
tore meo vel dies vel locorum intercapedo dele-
ret. Hinc non potui, quin præsentem arriperem
occasionem, publice declarandi venerabundum, qui
intra pectoris angustias hactenus latuit, animum.
Hunc respicias enixe rogo, non muneris levitatem;
quam si dederis veniam, novo favoris Tui argu-
mento me ornatum putabo. De Tuo, *Admodum*
Reverende PRÆPOSITE, perenni flore lœtantur Eccle-
sia, Familia honoratissima, clientes denique omnes.
Vivas igitur, vigeas, floreas quam diutissime, donec
horum spei deiiderioque omnium satisfeceris. Sic
ex intimo pectore votet

Admodum Reverendi NOMINIS TUI

Cultor humillimus
SALOMON MÖLLER.



§. VI.

uemadmodum in Partis prioris §. V. differentiam genericam virtutes inter naturales & supernaturales non dari, haud obscure indicavimus, quare utrasque putavimus eodem egregio nomine esse insignandas; ita cum ad institutum nostrum proprius jam accedimus, in virtute naturali tot animadvertisimus defectus, ut horum consciit non leviter animo pendeamus, an merito nomen genuinæ virtutis tueri illa queat. Nam ut ab eo, in quo potissimum rei cardo vertitur, ordiamur, animum paullisper vertamus in Legem Naturalem, normam illam, ad quam actiones suas morales componere studet cultor virtutis naturalis. Hæc ipsa lex, si in primæva eademque felicissima conditione mansissent homines, perfecta omnino & sufficiens fuisset agendorum regula. Sicut vero per lapsum primorum parentum toti corrupti sumus; ita etiam acies intellectus adeo

C

obtus.

obtusa est reddita, ut ratione duce perfectiones diuinias, quibus fundatur Lex Naturalis, rite, ceu par esset, non cognoscamus. Illam autem si distincte non perspiciamus, dic, fodes, qui fieri potest, ut ad eandem actiones nostras exacte conformemus? Quis ignorat, quod in tenebris facile erremus, idemque illis contingat, necesse est, qui creperam naturæ lucem solummodo sequuntur. Si quando enim homo sibi relictus videretur rectam virtutis semiram adsecutus, docet tamen experientia, quod in casibus præsertim particularibus aqua ipsi hæreat, animo inter agenda fugiendave quasi oberrante. Evolvamus namque veterum Philosophorum scripta, satis deprehendemus, quot quamque horridas cum de Deo Ejusque attributis, tum de virtutibus soverint opiniones, quodque in gravissimis hisce momentis sibi minime constiterint. Fidem dictis facturi, observamus, quod LUCIANUS sub persona MENIPPI nobis sistat imaginem hominis sibi relicti, sed virtutem valde quærentis. Hic cum Deum, ceu Ens Perfectissimum, ex dictamine rationis cognovisset, præcipuas Ejus perfectiones ex prudentiorum scriptis colligere cœpit. Incidit itaque in Poëtas, antiquissimos Scriptores, sed qui turpia quævis & legibus civilibus severissime prohibita facta Diis suis tribuebant, adeo ut nonnunquam capititis pœna plecteretur, qui Deos hosce imitari auderet. Quapropter animus ejus gravissimis concutiebatur dubitationum motibus, quos nec compонere, nec errantem in rectam virtutis semitam deducere potuerunt Philosophi, quos in re tam ardua
 simo
 con-

consuluerat (a). His haud dissimiles scrupulos plerique experiuntur, qui Theologiæ Revelatæ lumine, quæ multis nostro ævo est dementia, frui dediantur, nodum in scirpo quærentes, & de planissimis veræ virtutis præceptis admodum dubitantes.

(a) In Necyomantia p. m. 300. 301.

§. VII.

Magnus imprimis est virtutis naturalis defectus, quod Deum, omnis boni datorem, non semper respiciat, quo quidem modo a vera virtute, quæ est ex Deo & per ipsum quasi spirat, discernitur. Licet enim quisque facile animadvertat, quod a Summo Numinе rotus dependeat; attamen qui naturæ luce tantum adquiescit, sui ipsius potissimum est studiosus, a seipso validissimas desumit agendi rationes, & pleraque officia ad seipsum, tanquam ad centrum, dirigit. Virtutem, cuius augustum nomen involvit intellectum omnia prius sollicite expedenter, quam actio suscipitur, & voluntatem ad rationis imperium se placide componentem, non aliunde, quam a seipso incipiendam suaque industria perficiendam esse censet. Gravissimum hujus rei testem habemus CICERONEM, qui fatetur, quod *judicium hoc omnium mortalium sit, fortunam a Deo petendam, a seipso sumendam esse sapientiam* (a). Quæ quidem sententia non ideo labefactatur, quod PLATO docuerit, *virtutem neque natura, neque doctrina, neque exercitatione parari, sed Dei donum esse* (b). Item, quod SENECA adfirmet:

Bonum virum sine Deo esse neminem (*c*). Lices enim nonnulli fuerint Philosophi, qui meliora senserint, ab his tamen & verbis & factis discrepabat reliqua tam docta, quam indocta turba. Quid? Quod virtus naturalis parum adeo cum Deo habeat commune, ut si quosdam audiamus Philosophos, ipsa etiam in **A-** theos cadat. Ita enim WOLFFIUS: *Admittenda*, inquit, *hæc virtus* (de naturali loquitur), *est etiam in iis*, qui *Deum esse negant*, *vel de Ejus existentia dubitant*, *vel eam prorsus ignorant*, prout exemplo sunt *Sinae*, qui *distincta Dei cognitione destituti*, *virtutem tamen Philosophicam coluerunt*, *quemadmodum libri eorum classici loquuntur* (*d*). Verum si *Deum non cognoscant*, neque legem naturalem ejusque obligacionem admittunt, proinde actionibus illorum, egregiis licet, virtutis nomen immerito & abusive tribuitur.

(*a*) *Vid. Libr. III. de Natur. Deor.* (*b*) *In MENONE.*
 (*c*) *Cfr. Epist. XLI. p. m. 104.* (*d*) *Vid. Phil. Pract. Univ. Libr. I. S. 338.*

§. VIII.

Ad constitutionem virtutis pertinet omnino intentio agentis, quæ tanti est momenti, ut illam circa singulas actiones spectet Deus, spectent etiam homines, quoties eandem detegere possunt, idque merito, cum ipsa det formam quasi actionibus. Enimvero cum status animi nostri non semper sit erectus, nec intentio hominis sibi relieti bona perpetuo erit, quare etiam virtus naturalis hoc intuitu suis labore
nævis,

nævis, necesse est. Sed ut hoc ipsum clarus pateat, recludendi sunt fontes illi, ex quibus actiones derivantur, quæ bonæ videntur & virtutum nomine plerumque insigniuntur, quamvis bona intentio ab illis toto cælo discrepet. Scilicet ex corrupta nostra natura, tanquam ex fœcunda radice, tres succrescent arbores, avaritiam, ambitionem, & voluptatem intelligo, quæ fructus subinde protrudunt non contemnendos, re autem ipsa malis Punicis non dissimiles. Ut enim hæc speciem adspectu jucundissimam habebant, substantia autem interna valde putrida laborabant; ita egregiæ actiones, quæ ab hominibus, vitiis modo memoratis infecta pectora gerentibus, patrantur, ab indeole verrarum virtutum admodum discrepant. Mira tamen est horum vitiorum efficacia, adeo ut unum vel singula horum sint velut primum mobile eximiarum actuum, juxta illud BAPTISTÆ MANTUANI distichon:

Ambitiosus bonos & opes & fæda voluptas;

Hec tria pro trino Numinine mundus habet (a). Sic Chremes quotidianas ad Deum preces fundere non intermitit, sacris concionibus frequenter interest. Amat etiam Deum, tanquam fontem & scaturiginem omnium bonorum inexhaustam, cuius beneficam manum ipse in negotiis suis sæpiissime fuit expertus, & amplius experiri vehementer desiderat. Sed qualis, quæso, est hæc pietas? Est omnino naturalis & valde imperfecta. Fervor enim pietatis, quem mentitur, non ex sincero desiderio mandatis divinis morem gerendi, sed ex ardente voluptate opes corradendi provenit. Alii rursus sunt, quorum opera omnis & studium eo colli-

neare videtur, ut suum cuique tribuant, atque injurias ab inferioribus propulsent, quorum institutum valde esset laudandum, si Dei & generis nostri amore talia agerent. Verum cum multi justitiae vacent, ut suam tantum promoveant fortunam & gloriam, quod sciant, alios justitia magis, quam ulla prensationibus aut viscerationibus commoveri, satis adparet, horum justitiam Philautiæ tantum esse fœtum. Alii iterum se valde modestos & humiles præbent, merita sua non extollunt, sed extenuant, contra vero ob vitia se frequenter reprehendunt, suosque lapsus aliis notant, sed tales solummodo, quos in humanis ponimus; in quorum igitur præcordia si admitteremur, protinus videremus, quantum a seipsis dissentiant, & quod superbia atque ambitione plane exæstuent. Quamobrem etiam AUGUSTINUS dicit, *quod simulatio humilitatis major sit superbia* (b). Denique multi liberales atque munifici habentur, qui voluptatibus immersi alios ad suas invitant delicias eum solummodo in finem, ut hivicissim vel oblectamenta eorum augeant, vel gloriam, quam virtutibus sibi comparare nolunt, opum immensarum, in ignotos sæpe aut indignos collatarum, particula promoveant. Quam ingeniorum & morum diversitatem cum perpenderet DE MONTAGNE, affirmare non dubitavit: *Il ne se reconnoit point d'action vertueuse; celles, qui en portent le visage, elles n'en ont pas pourtant l'essence, car le profit, la gloire, la crainte & autres telles causes étrangères nous acheminent à les produire. La vaillance, la justice, la débonnaireté, que nous exerçons, lors elles peuvent être ainsi nom-*

nommées par la considération d'autrui, mais chez l'ouvrer ce n'est aucunement vertu; il y a une autre fin proposée, une autre cause mouvante (c).

(a) Vid. CALOV, *in notis ad dictum 1 Joh. II. 16.* (b)
De Virgin. Cap. XLIII. (c) Vid. *Prefat. Libri la Fausseté des
 vertus humaines par M^r ESPRIT.*

§. IX.

Quum veræ virtutis proprium sit, tam officia rite cognoscere, quam cognita hilariter & promte exse- qui; virtutis naturalis defectum valde arguit, quod multæ actiones, hoc nomine insignitæ, fiant partim ex inanimadvertentia, partim ex consuetudine, par- tim denique ex coactione & metu malorum, quæ ho- mines manent, nisi vitiis nuntium mittant. Scilicet cum arctissimum inter animam & corpus detur com- mercium, & genius pro diversa cæli solique natura aliam aliamque constitutionem nanciscatur, sequitur, quod animorum in diversis nationibus propensiones & qua speciem & qua violentiam sæpe diversæ sint. Qui- bus in casibus probe erit distinguendum, quid a na- tura & quid ab exculto proveniat ingenio (a). Non nulli etiam virtutibus studere judicantur, quamvis a- ctionum suarum qualitatem non satis considerent, sed ex longa adsuetudine, aut ex imitatione personæ, quam magni faciunt, pulchras ejus res gestas æmulen- tur. Quocirca graviter observat L'ESPRIT: *Que l'homme à cause de la corruption de sa nature, fait sans bonté & sans vertu une infinité d'actions, qui sont*

sont de soi bonnes & vertueuses, comme au contraire Dieu par l'excellence & la perfection de la sienne, venge le mépris de ses loix sans ressentiment & sans émotion & fait sans passion les effets des passions les plus violentes (b). Magna adeo est illius vis in mortibus formandis, ut CICERO fateatur: *Quod mores non tam ingenerentur hominibus a natura generis & seminis, quam ab his rebus, quæ ab ipsa natura loci & a vite consuetudine suppeditantur, quibuscum alimur & vivimus* (c). Multi denique sunt, qui non amore virtutis, licet hunc profiteantur, sed imprimis formidine pœnarum sive divinarum sive humanarum in officio continentur, qui si ab his se commode possent eximere, omne quod libet, sibi etiam licere probarent. Quamvis autem fallax natura gratiam ita imitetur, quantum tamen hæ actiones a veris discrepent virtutibus, vel inde constat, quod multæ illarum in bruta etiam animantia cadant.

(a) *Multa, qua hoc pertinent, disputat MOSHEIM. in Libro: Sitten-Lehre der Heiligen Schrift. Tom. I. pag. m. 519.*

(b) *Vid. Prefat. modo citat.* (c) *Vid. Orat. de Lege Agraria.*

§. X.

Ad perfectionem rei pertinet omnino ejusdem continua duratio & constantia. Sed quotiesne in virtutis cultura languescunt, qui illis tantum adminiculis fulciuntur, quæ sola nobis ratio suppeditat. Nec alia esse potest virtutum naturalium conditio. Sicut enim quidquid firma basi non innititur, ruinam minitatur

&

& brevi corruit; ita etiam quum virtutibus naturalibus, quæ ab homine oriuntur & ex illius ingenio solum formantur, omnes illæ adhærent infirmitates, quæ genus nostrum comitantur, mutabiles valde erunt. Hinc quoque deprehendimus, quod homines, qui in his virtutibus adquieverunt, easdem variis de caussis deserant, pravisque actionibus sensim aſſuefiant, vel, si qui paullo constantiores fuerint, illarum cultura domesticis tantum vitiis fucum quærunt. Consideres, si placet, clarissimos illos viros inter gentiles, quos tanquam virtutum robora nobis proponunt annales, nonne ex his constat, quod a virtutis gradu se dejici passi fuerint, quoties vel spes majoris gloriæ, vel aliæ rationes præcordia illorum vellicaverint? Et si qui his fuerint meliores, horum præstantiorem partem nobis obvertunt Scriptores, infirmitates vero vel obvelant, vel leviter conspiendiendas præbent, sive ut planius dicam, illud tantum vitæ tempus adumbrant, quo a vitiis potius deserti fuerunt, quam eadem deseruere, alia omnia acturi, si, ut in juvenili aetate, imaginatio-nis lusibus vires corporis suffecissent.

§. XI.

Virtutis naturalis defectum, ingruentibus adversitatum procellis, præcipue experiuntur ejus alumni. Scilicet his frementibus contrahit homo speciosam illam sphæram, qua ambitione, aliisque vitiis ductus se antea circumdederat & dignitatem

suam auxerat, in seipsum revertitor, secretos quos-
 vis ingenii atque virium recessus excutit, & quem
 interea animadvertat, quam lubrico fundamento
 sua superstructa sit virtus, fluctuat & animum ple-
 rumque despontet. Quo tamen ipso non negamus,
 quin apud nonnullos deprehendamus insignem He-
 roismum & animi magnitudinem, quæ naturalis
 licet, omnibus tamen fortunæ casibus videtur su-
 perior, adeo ut nec gravissima circumcirca pericu-
 la, nec pallidam exhorrescant mortem. Falleris au-
 tem quisquis credas, quod virtus sit, quæ hos su-
 stentet; nam acerrimum gloriæ studium fascinat a-
 nimos oculosque illorum, ut nec videant nec sen-
 tiant mala, quæ ipsos minitantur vel premunt.
 Similes igitur sunt illis, qui ex ardente laborant
 febri, qui se sanos atque robustos credunt, dum
 morbus membra & artus illorum depascitur. *Adcura-*
tius, inquit BUDDEUS, si Heroum, quos vocant, ALE-
XANDRI M. JULII CÆSARIS, aliorumque facinora con-
sideres, nihil aliud, quam eminentem quandam ambi-
tionem, voluptatis cupiditate quandoque temperatam in
illis deprehendes. *Bella injusta, rapinae, oppressa liber-*
tas, gentium cædes, urbium ruine, adulteria, scorta-
tiones non obstatunt, quo minus sit maneaturque Heros,
dignus scilicet, qui gentibus imperet, cum ipse suarum
cupiditatum servus sit turpisimus (a). Maxime deni-
 que turbatur virtus naturalis & tantum non deli-
 quum patitur, dum conditionis humanæ rationes
 perpendunt mortales, videntque bonos cum variis
 ærumnis confictari, malis autem omnia ex voto
 fuc-

succedere, adeo ut Divinam providentiam in dubium subinde vocent, quod exempla gentilium plus satis docent. Sic OVIDIUS:

*Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso,
Sollicitor nulos esse putare Deos (b).*

(a) Vid. *Theol. Mor. Part. I. Cap. I. Sest. IV. §. LXXVII.*

(b) Vid. *Libr. III. Amor. Eleg. IX. v. 35. 36.*

§. XII.

Nec minorem virtutis naturalis defectum in secundis, dum omnia ex sententia succedunt, sentiunt illi, qui ipsa contenti vivunt. Aut enim quis Majoribus suis debet felicem illum rerum suarum ordinem, quo impense fruitur, aut suæ industriae eundem acceptum refert. Si illud: ut justa se decempeda metiri vix didicit, ita facile sibi persuadet, se natum esse, ut inter nova oblectationum genera ætatem quam mollissime transfigat; veram proinde virtutem, quæ pravas inclinationes valide cohibendas esse præcipit, nimis austera esse judicat, quare semitam ejus, sentibus ac vepribus, ut opinatur, obsitam, illis calcandam relinquit, quibus munera sua manu minus benefica dispensavit fortuna. Si hoc: præmia patientiae atque laborum se nulla obtinuisse plerumque existimat, nisi de voluptatibus aliisque vitiis degustet primum & mox post promulgarem illis se immerget. Quis quæsonescit, quam parum ALEXANDER MAGNUS cu-

piditatibus suis imperaverit inter fortunæ obsequia, ut post speciosas victorias ab his se vinci haud indecorum censuerit. En quam parum valeat virtus naturalis ad homines in officio continendos, dum secunda nayigant aura.

§. XIII.

Maximus autem virtutis naturalis defectus certatur respectu finis, non tam intenti, quam obtenti, vel rectius, qui ejus cultura obtineri potest. Non equidem negamus, quin ad securitatem & tranquillitatem externam hujus vitæ conferat virtus naturalis, nec hanc tamen plenam sine fortunæ muneribus obtineri posse existimarent gentiles. Ad placidum vero conscientiæ statum quod adtinet, is per virtutem modo memoratam non obtinetur. Quid igitur? si ulterius progrediamur atque animis nostris ita consulere velimus, ut non solum in hoc, verum etiam in futuro sæculo illis bene sit, parum omnino valet virtus naturalis. Testatur enim Salvator noster de Pharisæis, qui bona sua jactabant opera, quod ἀνίχεον τὸ μισθὸν αὐτῶν, Matth. VI. 2. Si quis vero plenius ostensem cupiat, quod virtus naturalis non sit pronuba æternæ felicitatis, hæc habeat. Deprehendit homo, etiam qui vitæ suæ rationes accuratissime subducit, egregium quodvis animi propositum incassum saepe cadere, sequi plurima quotidie committere peccata, & proinde quod non possit non in iram Dei sanctissimi atque

atque justissimi incurtere, gravissimasque pœnas promereret. Hæc autem pœna alio modo tolli nequit, quam si ipsum tollatur delictum, quod rursum physice annihilari non potest, siquidem factum non fieri potest infectum; moraliter tamen tolli potest, quando id quod factum est, Deus benigna estimatione reputat ut infectum, atque imputacionem tollit. Enimvero ex hoc dubitationum labyrintho ratio sibi relicta se minime expedire valet, nescia an Deus culpam sibi remittat, nec non qua ratione se erga illum geret, ut gratiam Ejus, qua excidit, recuperet. Opus igitur est immediata Revelatione, quæ & medium reconciliationis cum Deo & totam salutis œconomiam distincte proponat. Quæ quidem argumenta, quibus cœu cardine æterna nostra felicitas vertitur, cum rationis sphæram longe transcendant, nec virtus naturalis ejus est indolis, ut hominem Deo, cœu par est, gratum reddat.

§. XIV.

Ut quæ hæc tenus adtulimus in compendium mittamus, & simul synopsin quandam defectuum virtutis naturalis exhibeamus, juvat comparationem inter Christianam & naturalem virtutem instaurare. Virtus igitur naturalis multos desiderat admiratores & laudatores, ejusque proprium quasi est, non tam esse, quam videri. Contra vero Christiana virtus, ut suas sentit infirmitates, actionesque

quantumvis bonas a perfectionis culmine longe abesse deprehendit, ita laudes nullas discupit, sed, instar bombycis, præclaris operibus suis se involvit, plurimum se lucratam existimans, si conscientiæ teneræ exprobationes evitare possit. Virtus naturalis multum sibi tribuit, nihil tam arduum aut difficile existimat, quod suo ingenio, sua industria, suisque viribus non possit efficere, quamobrem iterum iterumq; crepat, inviam virtuti nullam esse viam. Christiana autem virtus non tumida sed timida potius est, sibi suisque viribus diffidit: omnes igitur occasiones, quibus affectus ejus vehementer commoverentur aut innocentia forte periclitaretur, sedulo effugit. Non sic tamen animum in periculis despendet, aut gravioribus officii partibus se subducit; sed postquam precum ægide se texit atque Deum in partes suas vocavit, hoc duce nulla detrectat discrimina, nec fortunæ inconstantiam extimescit. Porro virtus naturalis est austera atque arrogans, adeo ut illos haud raro dedignetur, quos sine aliorum exprobatione virtutibus studere inteligit, sibi omnia indulget, aliorum vero lapsus aterrimo notat carbone. Christiana virtus omnem quasi rigorem in seipsum convertit, sinus pectoris abditissimos sollicite excutit: aliorum vitia non probat, nedum laudat, sed, si emendationem ferant, ipsos ad meliorem frugem placida ratione deducit. Virtus etiam naturalis in omnibus fere actionibus suum spectat lucrum, adeo ut quidquid egregii præstet ab hoc solo principio provenire videatur,
ipse.

ipseque agendi conatus pro ratione commodorum,
quaे inde sperantur, magis minusve sit intensus.
Vera autem h. e. Christiana virtus solem imitatur,
qui non sibi, sed aliis lucet, consumi igitur non
detrectat, modo profit, & ad Dei gloriam & suam
aliorumque felicitatem symbolam conferat. Cum
itaque virtus naturalis sit veræ virtutis tantum si-
mulacrum, tot tantisque defectibus, quot quantos-
que jam vidimus, laborans, cumque Benignissi-
num Numen ea nobis concederit adminicula, qui-
bus ad verarum virtutum fruitionem pervenire possi-
mus, hæc eligamus, & Christianarum cultura ani-
mum nostrum quotidie pascamus. Sic Deus, quæ
summa Ejus est gratia, in cælestis felicitatis atria
nos tandem transferet, ubi in æternum cele-
brabimus nominis Ejus
Gloriam.



